

n.33162

R. 25.864

Foll. 31-2A

# ORATIO

CORAM CLARISSIMIS ET ORNATISSIMIS VIRIS

RECTORE AC DOCTORIBUS

IN APERTIONE


GYMNASII COMPOSTELLANI

RECITATA

DIE 19. OCTOBRIS ANNI DÑI. 1829.

*A D. D. VINCENTIO RET,*

LITTERARUM HUMANAR. PROFFESSORE.



*Typos D. JOANNIS FRANCISCI MONTERO, UNIVERSITAT.,  
SENAT.QUE COMPOSTEL. TYPOGR.*

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE SANTIAGO



00240940

*Facillime tēnera conciliantur ingenia ad honesti  
rectique amorem. Adhuc docilibus leviterque  
corruptis, injicit manum veritas, si advocatum  
idoneum nacta est. Senec. Epistol. 108.*

**Q**uantis animæ humanæ sit in deliciis oculos in ante acta retorquere, resque gestas tanquam præsentes perlustrare, expendere, contemplari, nemo nescit, qui suam naturam non ignorat. De tuo munere, **RECTOR**, de vestroque, **DOCTORES**, plurima memorata digna, quæ posteritati, nobisque omnibus benevoli tradidistis perutilia essent mihi proferenda. Teneras quidem discipulorum mentes more nutricum mollius alitis, et satiari velut quodam jucundioris disciplinæ lacte facitis; sed hæc alteri referenda, mihi fas non est, nec vobis pergratum, cum ut quisque laude dignissimus est laudes suas minime libenter audire soleat.

Ad vos, amantissimi candidati, ad vos Ecclesiæ et Reipublicæ spes dulcissima me converto, nec quod per me dicere tanto

vestro bono audiatis, vel judicio quidem  
meo, quod nullum est, vel arbitrio, aut pri-  
vata cupiditate dictu notatum putetis; sed  
plurimorum, quos revereri par est doctorum,  
et tam sapienter, uti civili societati perneces-  
saria dicta invenietis.

Non enim vobis despicienda nunc tem-  
poris scitu digna, ut allorum, vestræque sa-  
luti in posterum consuletis. Tempore quidem  
adolescentiæ omnia metiri debetis, ut ad  
honores adipiscendos nudi atque inermes non  
perveniatis, nulla cognitione rerum, nulla  
scientia ornati. Qualis esse suasor peterit  
in conciliis publicis, privatisve tot rerum  
quibus civitas continetur ignarus? Quo mo-  
do patronum non falso dixerit, qui quod est  
in causis potentissimum sit ab altero petitu-  
rus? aliena enim fide dicetis semper? Quid  
fiet in his quæstionibus, quæ subito inter ip-  
sas actiones nasci solent? Quis imperatorem  
idoneum in præliis eredat, qui nec copias  
contrabere, nec instruere, nec prospicere

comeatus, nec locum capere castris sciret? ¶ Expectanda vobis erit ultima ætas, cum studia nunc omnia prætent, quantum ad cognitionem rerum pertinent, et etiam præteritis sæculis vixisse videamini? Hæc arma ad manum aliquando habere erit vobis per necessarium, hæc arma erunt vobis non ut latroni, sed ut vero et utili militi; nec tanta vos deterreat, cum omnia breviora reddat ordo, et ratio et modus, abundeque multos ad discendum annos habeatis.

Audiat hercle vestra ætas plura, et inventiat et inventis gaudeat, quapropter antiquorum et novorum doctrinam qui reipubliæ et christianas veritates diligentius, tenaciterque animi affectu exposuerunt, combibite; à vobisque fugienda scripta, quorum vitium est, ut solidioris lectionis fastidium afferant, tum etiam licentiora opera, quæ corruptelam in mores, et saniora quælibet principia invehunt: ex his enim certius vobis periculum imminet, quod nondum sitis ad eos refellen-

dos satis instructi, vestrisque adsint animis  
cupiditates, quæ tacito impulsu ipsis patro-  
cinantur. Sed nihil fœcundissimæ rerum cogni-  
tionis adquisitio yobis proficiet, nisi honestis-  
tissima præcepta, rectissimamque viam ad  
virtutem deligeritis: citra virtutem, qua nihil  
homini quo ad Deum proprius accedat, da-  
tum est, viri boni esse non potestis: citra  
virtutem, nec sapiens quis haberi potest, nisi  
accedatis his qui natura constare mores, pu-  
tant. An potest aliquis supra fortunam, nisi  
à Deo adjutus, exurgere? Ille sane dat con-  
silia magnifica et erecta: citra virtutem, nec  
abstinentes eritis, licet quid sit abstinentia  
capiatis; nec justi, licet equi bonique tracta-  
tum, nec vere juris periti, licet leges quæ  
omnibus natura sunt datæ, quæque propriæ  
populorum et gentibus constitutæ. O quām  
istud parum putant, quibus tam facile vide-  
tur! Intelligentia ne concedenda iis, qui  
proposita honestorum ac turpium via, pejo-

rem sequi malint? prudentia, qui in gravissimas frequenter legum, semper verò malæ conscientiæ pœnas, et à semetipsis improviso rerum exitu inducuntur? Stulti vos certè si mali, hoc non solum à sapientibus, sed id quoque vulgo semper est creditum.

Nec studio operis pulcherripi vacare mens, nisi omnibus vitiis libera, potest: in eodem pectore nullum est consortium honestorum et turpium, et cogitare optima simul et deterrima, libera etiam, nulla adstringente atque alio ducente causa, expectabitis id solum, ad quod accincti estis; quod si nimia cura, et solicitior rei familiaris diligentia, et dati spectaculis dies vobis sint, multum studiis auferetis: tempus haud dubie perit, quodcumque alteri datur.

Quid putatis facturum de avaritia, de invidia, aliisque hujusmodi, quorum impotentissimæ cogitationes somnos etiam ipsos, et illa per quietem visa perturbant? Nihil est enim tam occupatum, tam multiforme,

tot ac tam variis affectibus concissum atque laceratum quam mala mens. Cum insidiatur spe et curis, labore distringitur, et jam sceleris compos, pœnarum omnium expectatione torquetur. Quis inter hæc litteris, aut ulli bonæ arti locus? Non hercle magis quam frugibus in terra sentibus ac rubis occupata.

Perfectam denique inter vos amicitiam esse ex toto corde meo desidero, nullumque vobis mihi proponendum exemplar quam Cicero cum Hortensio, de quo ille dicit, quod semper alter ab altero esset adjutus, et communicando, et monendo, et favendo; quod sane efficiebat Aticus, ut inter quos tanta laudis esset æmulatio, nulla intercederet obtrectatio, essetque talium virorum copula.

Eveniat profecto inter nos omnes quod de Mecenates domu scribit Horatius. „Domus hac nec purior ulla est, nec magis his aliena malis. Nil mi officit unquam, ditior hic aut est quia doctior. Est locus unicuique suus.” Sic vos persuadeo, cum omnium ho-

nestarum rerum semina animi gerant vestri,  
quæ admonitione excitantur, non aliter quam  
cintilla flatu levi adjuta ignem suum expli-  
cat. Sic quidquid tractaveritis, id amabile,  
conspicuum, mirabileque facietis, et æstus  
inanis quos movet vitæ labor præsentis ævi  
tempore abolet futuræ cum Deo vitæ fides.



